



Angewandte

Bibl. Rom

Vc 734

M
ALBERTI CLAMPPII

MVLVS ARCADICVS

EIVSDEM,

POEMATIA ALIQVOT ALIA

Ωδῆς ἀρχαῖα καὶ κἀνθων ὀγκήδμον
αἴρει.



HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XC.



Epigramma

MULE mea quondam dulcissima cura
Camæna,
Primulum in Heluetico profate
Mule solo :

Quandoquidem patria procul, & popularibus exsul
Spissi gradum ignoto ducis in orbe femur;
A me hodie dabitur tibi cæna viatica, qualem
Arcadicum Hercynijs est pecus in stabulis.
Si tamen abs te aliam his epulis adduxeris umbrã:
Hæc quoq; quod tacitè ruminet, inueniat.
Summa est, & nullis abolenda infamia sæclis
Condere in immeritos falsum epigramma viros.



Excudit Jacobus Lucas Anno
M. D. XC.

Ad Sodales

Nolim, si fieri queat, videndi
Vestri copia sit mihi meisq;
Aut cras, aut hodiè, perendieue.
Nam quoddam cupidè volo poëma
Semotis procul arbitris dolare,
Quod tum deniq; singuli legetis,
Cum deductum erit vsq; ad vmbilicum,
Et Musis & Apolline annuente,
Qui mutis quoq; piscibus vocales
Impertire queunt sonos olorum.
Vultis scire, cui paretur? illi,
Illi de genere haud suopte nato;
Sed patre Arcade, matre Roseana,
Seu matre Arcade, patre Roseano.
Nam Mulus vocitetur, hinnulusne
Perinde est, modo vos sciatis in quem
Muli nomine, & hinnuli feramur.
Hunc colore decenter expolitum
Natiuo, mihi per caput pedesq;,
Lubet præcipitem ex meis amicis
Et lege & legionibus fugare.

A 2

Vos

Vos ergo interea domi manete,
Atq; ædes facite aurium vacuias.



Mulus ait nulli Mattonem cedere vatum,
Et se Mattoni cedere, non alij:
Mulus ait meliorem Mattonem esse poetam,
Quàm sit cum nato Scaliger ipse suo.
Mulus ait nectrum (res indignissima) Phœbum
Et Sophiæ & docti carminis esse rudem.
Mulus ait melius Tyronem scire latinè;
Quàm Crispum Latia principem in historia.
Hæc ita Mulus ait: sed vos mihi credite amici,
Quicquid Mulus ait, Cres ait, atq; Ligur.



Nil horum Mulus solo in Mattone requirit,
Quæ vatem numeris omnibus absoluunt.
Idem in Scaligeris, nato & patre, cuncta requirit
Quæ natem numeri nullius absoluunt.
Musotrophum in classem doctorū rejicit imam,
Nec meritum, vt dignus vate habeatur, ait.
Metiri versus dicit non posse Nathanem.
Numquid ea est risu res Cato digna tuo?

Mule

Mule nihil sentis: paleas cum furfure ructas:
Sic labra lactucas inuicem habent similes.



Matto Poeta est optimus poetarum,
Sic iudicante pessimo omnium Mulo:

Tantò quidem omnium optimus poetarum,
Quanto est a fellorum omnium optimus Mulus,
Siue Arcas ille, siue sit Reatinus.

Mulus poeta est optimus poetarum,
Sic histrione iudicante Mattone:

Tantò quidem omnium optimus poetarum;
Quantò est agyrtarum omnium optimus Matto.

Hæc illa sunt antiqua: MVTVVMMVLI.



ASellus ille, quem videtis hospites
Ait fuisse lurco perditissimus;

Neq; vllius Charybdis impetum trucem

Tot abdidisse turbido rates sinu;

Quot helluo iste Massici cados gula.

Et hoc negat maris salubre Balthici

Negare litus, Albiosue margines,

Rhenumue nobilem, intimamue Sueuiam,

Vbi iste postasellus antea fuit

2070

A 3

Minister

Minister ad scyphos, reiq; nulli homo.
Opima namq; quando patrimonia
Forent voranda, solus omnium integram,
Vocatus, an vel inuocatus haud morans,
Famem adferebat: hęc magis, quod haud foret
Solutionis vlla post necessitas.
Cynœde Alastor atq; Leno furcifer
Tibi hoc fuisse & esse cognitissimum
Afellus inquit: & culinæ in abdito
Tuæ vomisse se fatetur angulo
Tomacla fœdè olentia, atq; lotio
Soluta perpluisse subligacula:
Neq; vlla vota pocularibus dijs
Sibi esse facta, seu dyota pluribus
Data esset ebibenda, seu vice vnica.
Sed hæc prius fuere. nunc tabellio
Afellus ille, litiumq; factus est
Nouus patronus, atq; dira pauperis
Popelli hirudo, seq; deuouet tibi
Nefande Pluto, & efferatæ Erynnies



Q Visiste iudicandi inauditus stupor?
Septemuiralis scurra vt antistat viris,

Quos

Quos aspicit sol omnium doctissimis?
Omitte Mule, omitte contumelias,
Que peruicacem, foedam, abominabilem
Malè feriatæ mentis impudentiam
Iunctam pari redarguunt inscitia:
Et te parumper otiosum præhibe,
Dum, quod referre gestio, perceperis.



Lusciniæ olim cum cuculo fuit
Certamen atrox, re super ardua,
Nempe vtra earum dulciores
Alituum modulos teneret.
Ventum fuisset forsitan ad manus,
Pugnante summo vtralibet impete,
Ni derepente visus esset
Pabula nota sequens asellus.
Huic iudicandæ quòd cuculus daret
Litis potestatem ingenio suo;
Luscinia, etsi quid futurum
Prospiceret, tamen acquieuit.
Ergo aure iudex eminula stupens
Ambas secundum se iubet alites

Sub

Sub myrteo arboris flagello
Sidere, perq; vices sonare.
Ibi illa primum gutture musico
Celebris ales suscipit: adsonat
Ineptus eiusdem integrator
Vocis, idemq; subinde tinnit.
Mox absolutis cantibus, arbitri
Sensim ad tribunal itur: is affatim
Sententiam rogatus, inquit:
Maecte pari ingenio volucres:
Ut quæq; vestrum non mediocriter
Visa est mereri lauream Apollinis:
Ut expedito temperastis
Ad numerum lepida ora motu,
Quod pace vestra mi liceat tamen,
Visa intricato plus fatis est sono
Luscinia vti, simplicesq;
Non cecinisse melos ad aures.
Proinde primas deferimus tibi,
Ut arbitramur, mi cucule, optimo
Iure, & meo sis arbitrato
Dignus honore melodus omni.

Inepte

sub



I Nepte Mule, iam vides quid ille iudicârit
Olim tuus sobrinus, atq; si velis patronus:
Vestigia huius insequens odore ceu canino
Idem tibi licere forte prorsus arbitraris.
Per me licebit: at licere mihi finas vicissim
Ut, si velis a fellus esse, nuncupere mulus,
Et arceare de mea procul sodalitate.



Satis superq; opinor, hæc coarguunt
Stuporem homuncionis, & quiescere
Recensitis tot his queam calumnijs,
Nisi ille bardus infurret hoc quoq;
Peritiorum in omnibus scientijs
Nec esse, nec fuisse, nec fore vsquam
Ab occidente Eoum ad vsq; limitem,
Præut sit iste litterator, Atticæ
Calamitosa febris; iste qui Capri
Probiq; nuper artem eo volumine,
Quod ipse Mulus haud subiret, edidit.

Strigose Mule, doffuarium pecus,
Ob hanc loquacitatem inanigarrulam,
Vti merere, munerandus es mihi.

B

Vimine-



Vimineos portans fascias asino domū redibat,
Nouoq; gressum more grandiebat.
Spissigradum vt fraudaret herum, quia se puta-
Pomisq; & id genus cibis onustum. (bat vuis,
Vendibilem in pueros ergo sibi lætus esse mercē,
Immane lucrum blennus aucupari,
Curriculoq; ire ad ludos, vbi confluit iuuentus,
Et ad parandum strenue incitare.
Fit strepitus pueros inter: nouus institor rogatur,
Onus recingat, edat: ille vestem,
Qua pluuiā arcuerat virgis herus, impiger remo-
Et, poma quæ putabat esse, virgas (uit,
Repperit: his pueri arreptis: quod iniqui ferebant
Tantum insolentis bestiaæ stuporem,
Cædere rudentem propolam, & ab impetu mo-
Non ante, quàm flagella defuerunt. (ueri



MVle mihi, per omnes
Te deos oro, referas, cur pateris molestē,
Quod tibi carmen acre
Occino: certē haud poteris pl^u immò moueri,
Si li-

Si liquidò fateris

Esse atrox iudex, & atrox suffragium tulisse

Thespiadum in ministros,

Qui sua longè superant luce tenebriones

Cum pueris latentes,

Vt ferunt Pelei sobolem, in gymnasijs opertis.

Vipereo cruore

Cautius posthac licet à talibus abstinebis

Iudicijs pudendis;

Et fide, & fama tamè hac propter ita excidisti,

Vt, modo qui leonis

Cæsij fulvas fueras exuias amictus,

Et leo iudicatus;

Nunc, simul visè mihi sunt auriculè eminètes,

Te pecus esse bardum

Autumè, ac dignū scutica, fustib⁹, ac flagellis.



Mvlum tergeminis tollat honoribus,

Quisquis pro libitu iudicium facit,

Et doctis hederas præmia frontibus

Cum visum est, adimit: cum lubet, improbos

Indoctosque viros vatibus inserit.

At qui pasti epulis sunt melioribus

B 2

Vera-

Verarum in studio partium & artium;
Mulum carnifici clarius indicant
Dignum supplicio, quod tulit impius
Cambyſæ auſpicijs, ob ſcelus arbiter
Sifamnes, folio cuius eburneo
Diſtenta eſt cutis. aſt hoc quoq; ſit tibi
Pœnæ non ſatis ô Mule triſœtide.
Nam detracta tibi pellis habebitur
Pro loro, & ſcuticis, & corio, & flagris,
Quæis in perpetuum congeneres tui
Cœdentur, quoties non ſine maximis
Carpent flagitijs egregios viros;
Quæis lauro redimit Melpomene comam.



AT modus porrò quis erit Quirites,
Mulus vt ſacram Aonidum cohortem
Inuerecundo petulanter ore.

Mordeat atrox?

Et viros nulli numero reiç;
In ſchola, vt ſeruum pecus, educatos,
Moribus vultuq; truces, perenni

Nomine donet?

Crispe

Crispe Sallusti historiae Quiritum
Iam diu dictus pater atq; princeps,
Amplius nunquid tibi vis ab ima

Classe? dedisti

Iam satis poenæ, quod in eminentem
Laudis irrepsti studio cathedram:

Iam velis Rhinton aliquis, vel vnus

Fossor haberi.

Vos item nostri duo lumina æui,

Orta seruandis vtriusq; linguæ

A malo fato studijs, & æqua

Lance peritos

Angor: ô vos Scaligeros, repente

Per dolum & vim iudicis impudici

E sacro regum folio infima ad sub-

sellia trudi.

Sed viri estote, & bene ferte tantum

Beluæ immanis scelus: ista solos

Non petunt vos tela: cadunt eodem

Vulnere plures

Mufici athletæ. Viden' vt Nathanis

Marceat laurus, pereantq; fertæ,

Quas suis ipfus digitis ei olim

Fecit Apollo?

B 3

Et vi-

Et vicem nostri quis enim Caselli
Non fleat? quantos tulit ille fructus
Ante, foecundis sophies in hortis

Vbere cultu:

Qui modo immensum capiens dolorem
Pulcher vt culti cecidit noualis
Flos, proterui prætereuntis acri

Vulfus ab vngue.

Ergo pro mulo mihi nunc deinceps
Aeacus, Minos, Rhadamantus esto,
Cuius horrescat puerilis atrox

Turba tribunal.

Nam viris quod detrahare eruditis
Lauream conaris Apollinarem,
Putidè mendax, & in omne scurra

Nobilis acuum es:

Nec tibi à nobis erit vlla porro
Vel fides, vel pax, vel honor: sed omni
Qui fies, & quid merearis æuo hæc

Pagina dicet.



MVle tuo patri, cum matrem duceret olim,
Qui cecinit nuptis omina fausta nouis;
Debuit

Debit ille *εὐχῶν* solemnibus acclamasse:
Este diu, & generis prolem vtriusque date.
Pro quibus exemplo Aufoniano maluit vti,
Et bona ridiculo dicere verba ioco:
Gignite foeminei generis, generisque virilis,
Atque etiam neutri progemem generis.
Hoc probat euentus, quē rebus in omnibꝫ horneꝫ
Plautina esse vicem fabula messis ait.
Nam tibi Mule genus faciunt cum fratre forores
Vtrumq; : at neutrum tu genus ipse facis.
Si tibi sint igitur paleæ, si fufur, & is, qui
Delitium vestro carduus est generi;
Efferci ingluuiem: non ad præsepia granis
Plena decet bardo stare asinos capite.
Nobis munda Ceres; bene olentia ferta, falernū,
Et Philia imprimis turba sacrata Deæ est:
Qui cum perpetuos sic excercemus amores,
Semper vt alterius de latere alter eat
Doctior, & magni se degustasse Platonis
Nunquam postridie non videatur olus.
Hæc tu, cum tetrico auerferis, vt omnia, vultu,
Te solum admirans, iudiciumq; tuum
Vsq; adeò vt pueri Latio in sermone tenorem
Sallusti ante ieras omnibus historijs;
Ne mi-

Ne mirere tibi cur tantum habeamus honorem,
Quantum olim ciui municipiq; tuo,
Qui se, quod castæ ferret simulacra Dianæ,
Arcadicum dici noluit esse pecus:
Sed diuum, meritò quem omnes reuerenter ha-
Cuiq; viatores cum prece thura darēt. (berēt,
Donec nodosæ pulsatus robore clauæ
Arcadicum didicit se tamen esse pecus.
Sic tibi ne credas nimium nos velle placere,
Officium quamuis nobile sustineas.
Sæpe etenim Mulos pretiosa merce grauatos
Venisse ex ipsa vidimus Italia,
Quos tamen iccirco haud tricies bis millibus, o-
Ille Reatinus venijt, vllus emat, (lim vt
Cum lolium & steriles antiqua in prandia fascēs
Depositis iterum mercibus esuriunt.
Quare age, prædictum ne post haud dixeris, exi:
Aut fuste arrepto ne batuare caue.



A Selle ingenio poëta inani
Spurca barbarie, improbis lituris
Bellas turpiter oblinens papyros,
Legi versiculos tuos culina,
Et fuli-

Et fuligine, & horridis fauillis,
Et scurra è triuio vsque digniores;
Quàm saltem mediocribus poëtis:
Legi, inquam, & dolui: haud quod esse quisquã
Dignos, qui legerentur, æstimãrit:
Quanquã illud quoq; plusculum doloris
Per sese ingenijs creet politis:
Sed quod Mæuius eruditionis
Antiquæ columen perire per te,
Per tuosq; habuit necesse versus.
Nam tantò celebres viros opinor
Et lædi mage, & acriore probro
Scindi; quantò ab inanibus poetis
Maiori celebrantur apparatu.
Inuitis nisi forsan, inscijsque
Laus huiuscemodi occinatur ipsis,
Quod certum scio Mæuio accidisse.
Nam mendis numeros tuos trecentis
Deformes potuisset occupatus
Legisse; haud tibi inepte sic abisset.

Quare Afelle leuis poeta posthac
Aut scriptis melioribus celebra
Virorum ora beata doctiorum:
Aut soli tibi, quas modò obtulisti

C

Profint

Profint quisquiliæ, inficetiæq;
Rus merum, illuuias, μεμαγμένον σκάβ.



A Selle ingenio poëta magno,
Dignum Apollineis caput corymbis;
Quî cum singula, quæ ambiere vatum
Sancta pectora sæculis vetustis
Comparata, nec esse, nec fuisse,
Nec futura aliquid videntur vnquam.
Legi versiculos tuos olore
Dyræo, Aeoliæ lepore Sapphus,
Teij nectareo fenis susurro,
Blando cum focjis suis Catullo,
Sulmonense poeta, Horatio ipso,
Ipso deniq; patre digniores
Latinæ Iliados Marone, quàm vel
Nostri temporis optimo poeta.
Legi, inquam, exsiluiq; gaudio, haud quod
Sit felix mihi Mæuius vocandus,
Cuius ingenio pereleganti
Vita & spiritus & perenne nomen
Tam clari auspicio venit poetæ.
Sed quod barbarie horrida inquinato

Nostro

Nostro tempore visus est poeta
Ceu summo à Ioue derepente mitti,
Qui Musas & Apollinem & Mineruam,
Et quicquid superùm inferùmq; vbiq; est,
Queis castum & sapit & placet poema,
In luctam queat, atque singulare
Excantare melodiæ duellum.

Quare aselle mihi stupende vates,
Si post hac tibi vis perenne nomen,
Et famam sine morte comparare,
Gaude proposito, & subinde tales,
Quales ante, licenter ede versus.
En promittimus atq; pollicemur,
Fore, vt perpetuis caput tenebris
Et Graij simul & simul Latini,
Quotquot in precio hactenus fuere,
Puncto temporis induant poetæ,
Et tu Luciferi instar, hesperiq;
In cunctis caput efferas poetis.



Tria verba Mule dicam tibi, quam prius abeas
Satur atq; onustus istis numeris leuipedibus,
Qui derepente fusi subito patefaciunt

C 2

vbiq;

Vbicunque, quantus in te iocus & lepor habitet.
Scelus esset execrandum, atq; asinina fatuitas
Tua verba inusitato fluitantia sonitu
Inter merum & sodales, memori eijcere animo.
Quia, Mule, sic amet te bene sancta saturitas,
Paleaq; & hordeo pastus eas cute nitida,
Babylonici nec instar peristromatis habeas
Maculosa terga, pictum neq; verbere corium;
Ut es vnus inter omnes lepidè catus asinos,
Et asellitute cunctis coryphæus in asinis,
Simul auius citato procul impete raperis
In Apollinis sororum famulos hedericomos,
Vti fucuit illa Bacchi furibunda vaga cohors,
Quoties liquore dio Bromij patris animum
Hilarata concalescit, sacra mystica faciens.
Ego te in foro, in palæstra, in stadio, atq; gymna-
sij

Asinorum habere primas reor, & memoro libēs,
Patiorque vt omne vitæ spatium illa loca colas,
Vbi molibaiulatrix, vbi verberipatida
Gens pigrilumba tardo saliticta tripudio:
Vbi cardui, atq; fur fur, steriles vbi paleæ
Potiora sunt deorum saliaribus epulis.

Onus



Onus obeo graue, egeoq; bene celere calamo,
Tereteq; baculo, vt inigere liceat herifugum
Pecus in ea gelida stabula, in eaq; latibula,
Vbi prius erat, & in alia bitere loca diu,
Malaq; probra iacere super hederigera capita
Nequijt: vtinam ope modo Charitum ego iuuer
aliqua,

Neq; memoria legere volucra metra renuat.
Age regredere igitur asine: vetera loca pete,
Vbi palea tibi cibus, vbi lolia famem abigunt:
Patere mea flagra: batuere: vetus id adagium est:
Mulier & asinus, vbi quaterre pigeat, ea sunt
Mala pecua, neq; merita tribus emi & ali obolis.



Iam receptui canam,
Quod terminos poematis reuulsi,
Atque Mulus æstuat
Fumantis irritatus instar vrsi.
Sed modum nihil supra
Reor furenti bestiaë accidisse:
Quod vetus prouerbum est:
Calumniator si capit loquendo

In viros bonos malè
Quicquam voluptatis, quod illud ipsum
Iure semper optimo
Male audiendo pœnitens omittat.



Adeste ò lepidi venustuliq;
Adeste hendecasyllabi, priusquam
Extremo soleæ petantur actu,
Sublatisq; domum ancoris eatur:
Adeste, & quod eratis ante primi,
Nunc fitote nouissimi, pudentem
Poscentes veniam meos sodales,
Queis nunc auriculæ, nates, ocellj
Spectandoq;, sedendoq;, audiendoq;
Affecti malè sentiant dolorem.
Quod si gratia fiat ista uobis,
Et tantum mereamini fauorem;
Nil felicius est beatiusq;
Nobis, qui simul hoc rescuerimus,
Erectis feriemus astra palmis.
Ipse autem pigrilumbus Arcas omni
Per me notus erit loco, & deinceps
Nolit ad scopulos relabi eosdem.


Nam

Nam si pergat ineptus esse, iam iam
Concinnata modo elegantiore
Aspectu omnia in vnico videbit,
Quæ possunt homini illius farinae
Mensura cumulatiore reddi.

FINIS.



Epitaphium Pastoris Arca-
dici ex Italico fanna-
zarij.

 Felix anima, ô perennifelix,
Quæ mortalibus exfoluta vinclis
Ad cœlestia regna sub uolasti:

Vbi spirituum beatiorum
Inter congeneres agis cateruas
Nullis otia turbulenta curis;
Et cœli super astricas choreas
Fulgentem statuens beata plantam
Nostros ludificaris euilatus.
Nunc tu sub viridi sacraq; pinu:
Nunc tu sub tenera vagmaq; myrto,
Per montesq; nouos nouosq; saltus,
Per camposq; nouos, nouasq; valles
Immortale deûm pecus fatullans,
In gregum imperia obtines magistrōs.
ô felix anima, ô perenni felix.
Illic sole calentibus diebus,
Cum raucum virides strepunt cicadæ
Spectabis fatyros voluptuantes,
Siluanosque libidinofiores

Crudis

Crudis insidias parare nymphis,
Et pictos minio rubere Faunos.
Illic Elysijs sub ilicetis
Cum Daphni, Choridone, cum Menalca
Septem disparibus canes cicutis
Agrestem strepero tenore musam,
Et dulcedine vocis obstupenda
Cœlorum æthereos replebis orbes.
O felix anima, ò perennifelix.
Proceras vti vitis ornat vltimos:
Formosas vti buculus iuuenas:
Vt foecunda bonos honestat agros
Maturis seges albicans aristis:
Sic tu Mænala tota Stymphalumq;
Remotissima ab occidentis ora,
Qua sol emeritas lauit quadrigas,
Ad Mæotidos auias paludes,
Infectosq; colore noctis Indos
Summum ad culmen honoris extulisti.
Ah mors inuidiosa, quis deinceps,
Quis subterfugiet tui rigoris,
Tui ausus adamantini rigoris,
Ex gregum inferioribus magistris;
Si nostræ columen caputq; gentis

D

Ceu

Ceu testudinibus cuniculisq;
Fatorum asperitate subruisti?
Quis pastorem alium videbit vnquam
Tam lætis operam nauare rebus,
Vt sacrae in meditullio coronæ
Pubis Arcadicæ sedens canendo
Cunctorum in se oculos & ora vertat?
Quis post hac patulis opaca ramis
Insternet trichila? alueosq; raucum
Per faxa aspera murmurantis vndæ
Curuatis teget arborum flagellis?
O felix anima, ô perennifelix.
Planxerunt tua fata acerba diuæ,
Quæ patentibus arua læta campis,
Et densos nemorum incolunt recessus.
Lugent flumina, vitreiq; fontes,
Guttâ præcipites minante casus
Excessere suis per arua ripis.
Flent arbusta, humiles dolent myricæ,
Speluncæq; vlulant, & ipsa tellus
Cum pallentibus ingemiscit herbis.
Quin & insolitis caput tenebris
Sol obnubilat, aureosq; vultus
Ventorum, pluuiæq;, nubiumq;

Vdo

Vdo syndone ceu stolatus abdit.
Quis feras etiam, feras agrestes,
Cultrices nemorum feras, remetum
Humana genus à sodalitate
Tanto crediderit dolore tangi?
Tangitur: nec, vt ante, pabulatum
Subterrestribus exitè caueris;
Sed lustris habitat, specusq; o pacos
Præ salubribus expetiscit herbis.
Idem armenta, pecusq; mansuetum,
Et tenella bidentium propago
Deformi facit obsoleta luctu.
Quid Plura? hæc lacrymabilis ruina,
Hæc verè lacrymabilis ruina
Tanto cui libet extitit dolori,
Vt filuæ, loca tesqua, plana, riu
Omnes vndiq; te, tuumq; nomen
Iocosæ instar innaginis sonârint.
Hunc ergo tumulum tuum, hoc sepulchrum,
Hoc sacrum meritò mihi sepulchrum,
Vt primum fuero graui molestæ
Eluctatus acerbitatis æstu,
Veris purpurei subin nouello
Sparsum flore videbis, & te ipsum

D. 2

Totius

Totius Parrhasiæ per os iuuentæ
Dionææ auis in modum vagari.
Nec surget roseo dies Eoo,
Quæ famam minuet tibi, tuumque
Obscuris decus induet tenebris,
Dum spinæ teretes alent colubros,
Et mutas freta Nerei cohortes.
Quin nec regna perennitatis istæc
Nostro repperies in ore tantum;
Sed quicquid pecus Arcadis iuuentæ
Per calles agit, arduosque cliuos
Inflatis calamisque fistulisque
Nomen perpetuo tuum sonabit,
Et cum thure nouas preces quotannis
Solemni tibi more nuncupabit.
Vos ergo interea Ioui sacratæ,
Tendentes patrio comas olympo
Quercus, si pietatis vlla vobis
Est affectio, mutuusq; sensus,
Ramos frondibus explicare passis,
Vt mollem tumulo creetis ymbra.

Ex Ita

Totius

Ex Italico eiusdem; Pastor alium

pastorem amantem alloquitur.



Vò tu cum facie cadauerosa:
Cum barba aspera, & horridis capillis:
Atra liuidus os cutimque bile,
Quonam abis Asiuida, summus inter
Athletas pecuarios magister?
Forte vt ruraq; solitudinesq;
Quæ curis loca sunt amica, vites;
Turbas appetis, & negotiosas
Spreto ruris amore ciuitates:
Hamatas ubi fabricat sagittas
Dolosæ puer improbus Cytheres.
Ille veliferas arat procellas
Infani maris, & labore vano
Sementem in sterili facit saburra:
Ille in retia rara, doliumq;
Pertusum aëreas coercet auras
Qui desiderium suum, suasq;
Spes in corde vagæ locat puellæ.

Si tibi hanc animam licebit vnquam
Dura soluere amoris è catena,
Et iugum excutere impiæ Cytheres,

D 3

Quacunq;

Quacunq; Arcadiæ solum feracis
Ad Corinthiacum ' Saronicumq;
Parte vtraq; sinum recedit, expers
Nostri non erit vlla filua cantus.
Dicent femidei, quibus tenellum
Est curæ pecus, vberesque campi,
Reuiuiscere Thyrsin & Menalcam.
Napææ, Dryadesque, Naiadesque,
Et qui sunt pedibus dij caprinis
Cum pictis ebuli cruore Faunis,
Exosi requiem, & graues veternos,
Abiectis tunicisque calceisque
Alterno salient pede, & choreas
Læti in gramineis agent palæstris.
Ipse autem Veneris proteruus infans,
Cum sæua genetrice, purpurantes
Suffusi roseo colore malas
Repulsam patientur, & perempto
Quod cantare epiniciu volebant,
In luctum palinodiamq; vertent.



Münster Propertiana Longum iter &c.

Ratum iter ad doctam Pataui proficisci-
mur urbem,
Spectatum Italici clara Lycæa soli.
Creuit enī multis furor hic vehemēter ab annis,
Quòq; magis creuit, fors mage iniqua fuit.
Omnem inij cæcis pugnandi affectibus artem:
Ille tamen cuncta fortior arte fuit.
Vix tandem optati concessa est copia voti,
Cum vacuus nullo turget ab ære sinus.
Vnum erit auxiliū in sociis, quibus institor auri
Quantum opus est Veneta promptus in vrbe
dabit.

Nunc agite ò pueri phaleras & ephippia ferte,
Pictaque inæquali nectite frena lupo:
Pileus, arma, chlamys, facite vt sint ònia præsto:
Mox ad aperta domus limina stabit equus.
Helueticæ rupes, & culti flumina Rheni,
Tuq; o cara mihi iam Basilea vale.
Ergo pruinofas ego nunc equitare per Alpes
Cogar, & angusto tramite ferre pedem.

Deinde

Deinde vbi Rhœtorum fines vicina Salassis
Oppida speratæ vicero amore viæ,
Quod superest, vëdemus equos, vnaq; vehemur
Insubriæ effusis æqua per arua rotis.
Inde vbi me Veneti satiârint littora portus,
Flectam Antenoreæ mœnia ad vrbis iter.
Illic Pieridum studia intermissa reuifam,
Pendebo aut priscis totus ab historijs,
Persequar aut studium facundæ nobile linguæ,
Aut sacra iustitiæ signa ducesq; sequar,
Aut certe antiqua monumenta insignia ab arte
Pluribus Italiae sparsa videbo locis.
Sic desiderio, nisi me spes optima fallit,
Spectandi obrepet nausea cruda meo,
Dum redeam fato ad patrios meliore penates;
Hæc mihi erit reditus non inhonesta dies.

Henrico Suuerinio Basileam.

Ecquid te Helueticis hiemantē, frater, Athenis
Qua secat effusis mœnia Rhenus aquis,
Tranantemq; sacri geminam symplegada iuris,
Iupiter, infueto nobilium studio,
Nostri tangit amor? multisq; fideliter annis
Ex æquo cultæ mentio amicitia? An

An sic intentis hæres defixus ocellis
In R E P E T I T A nouo capta recens opere,
Vt tua non vlli iam credas debita curæ
Pectora, præquam vni atq; vnico ei studio?
Quotidie totis huic instans feruidus horis
Huic dans somnifero tempora dicta deo.
Nullane per summos grassandi finis honores?
Nulla siti famæ nausea laudis erit?
Nulla fami satias? quò, quo ruis immemor eius,
Quæ tibi ad extremam viuuda canitiem
Gloria erit, pridem Herculeo quæsitæ labore,
Cum tentata viris non nisi ab eximijs
Iura velut dubiæ sinuosa ænigmata Sphingis
Soluisti explicitis casibus Oedipodes.
Iam reuocare animos, obliuisciq; laborum
Par erat, & summo laudis ab arce loco
Errantes spectare alios: iam lampada tradi,
Reclusisq; vicem poscere carceribus.
Sed virtutis amor, amor insatiabilis ille
Non capiens vllis tædia temporibus.
Quem semel admotis veluti calcaribus egit,
Ille sui nullum nouit habere modum.
Tu mihi testis eris num te ipse teste negare,
Id quod quotidie comperiare, potes?

E

Tu vix

Tu vix deposito, quo functus es ante labore
Difficili imprimis iuris in articulo
Affectare viam laudi maioribus ausis
Instas, plus vna dum repetita vice
Conijcis in classes repetitarum ordine legum:
Sed REPETITA minus conuenienter ais.
Nam REPETENDA quidem titulo potiore
vocasses,

Quòd liber, assiduo quæ repetantur, habet.
Verum hoc pace tua. Tu perfectum acriter ede,
Hoc, illo, vtrouis nomine gratus erit.
Deinde vbi cōfecta hac etiam superaueris Hydra
Cursum in hibe, & grauib⁹ pone modū studijs,
Grynæi interdum alloquijs vela vuida siccans,
Grynæi insanum dulcibus alloquijs,
Seu studium spectes linguæ Demosthenis arma,
Seu quid iuridicum, siue quid historicum
Interdum rapidi spatians in litore Rheni
Ad desolatos Rauraca castra lares,
Interdum celeres exercens corpore ludos,
Seu pila iacta magis, seu magis hasta placet:
Interdum positis agitans conuiuia mensis
Ad creperum Phœbo mox oriente diem.

Sic tibi

Sic tibi nocturno pallor quæsitus oliuo
In ventum & rapidas ocyus ibit aquas:
Et poteris nostri meminisse per otia, quando
Absentis superest, quam meminisse, nihil.
At si pertendens animis, insomnia, curas,
Et cæptum studij continuaris iter,
Gloria maior erit, fateor: sed et optima vitæ
Commoditas nimio fracta labore perit,
Et cupidus cœlum erectis attingere palmis
Sæpe fit vt lapsis pronus eat gradibus.
Ergo age ne fructum præsentis negligè vitæ,
Neu tibi, cui cupiat nemo nocere, noce.
Sed fatiare illa, quam dat tibi Gallia laude,
Laude peregrinos tollere parca viros,
Quamq; in Teutonicis ad culti flumina Rheni
Cuncta tibi resonant pulpita Gymnasijs.
Nos quoq; qui miris spectamus ab artibus vsque
Ad cœlum e medio surgere tecta mari
Hic, olim in salis vbi quæsiuere lacunis
Tuta loca à turbis barbaricis Veneti,
Quã primũ ad Phrygij antiquas Antenoris arces,
Mœnia Pierisin sacra, reuerterimus,
Nil prius antiquumue magis quid habebim; atq;
Vt tua ad Arctoas, cognita fama plagas,
E 2 Iamq;

Iamq; pererratis Gallorum finibus, ex me
Post etiam toti nota sit Italiae.

In Lucretiam.

SI proprium à lucro Lucretia nomē adeptā es;
Nominis est anceps syllaba prima tui.

Atq; ita, quod trito veterum fermone probatur,
Vera tuis infunt omina nominibus.

Ars lucrosa tibi est: lucro diuendis amorem:

Si tamen infami venditur ille lucro.

Hoc est, quod prima est tibi syllaba nominis an-
ceps:

Nomen vt est anceps: sic quoq; lingua tibi.

Præsenti absentem lucro traducis: eundem

Mel ais esse tuum; fel ais esse tuum.

Ignosco: officium est meretricibus illud, & illud

Si facis, es meretrix, officiumq; facis.

F I N I S.

Handwritten text, possibly a signature or date, in brown ink.


223


AB: 59072

ULB Halle 3
001 949 837


Rebro
VD 17







ALBERTI CLAMPPI
MVLVS ARCADICVS
EIVSDEM,
POEMATIA ALIQVOT ALIA

Ωδῆς ἀρχαίου κἀνθων ὀγκήμων
ἀείρει.



HELMSTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XC.

